



DECAS
QVÆSTIONVM
MISCELLANEARVM
CONTROVERSARVM,

Quam

D. T. O. M. A.

*Permissu & consensu Magnifici & Am-
plissimi Ictorum Ordinis in Acade-
miâ Lipsiensi.*

SUB PRÆSIDIO

Dn. FRANCISCI ROMANI J.U.D. Junioris,

Publicè ventilandam proponit

JOHANNES HENRICUS HACKELMAN,

LEOPOLDI Jcti & Ordinarii p.m. Filius.

Ad diem 14. Julii Loco Horisq̄, consuetis.

LIPSIÆ,

Ex Officina Typogr. Abrahami Lambergi.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ,

CIO. CI. CXXIX.

ck
1629, 3
/

11
/

3

35





Generoso, maximè Stre-
nuo, Magnifico, & antiquâ Nobilitatis
prosapia, reconditiore doctrinâ,
longoq; rerum usu, præcel-
lentissimo Viro,

Dn. IOACHIMO à Loß/
in Piltitz/ Schönfeldt vnd
Graupâ; & c.

*S. Cæsar. Majestati à Consiliis, Sacriq; Romani
Imperii in re Nummaria Prefecto, nec non Serenissimi
Dn. Electoris Saxonie Consiliario intimo.*

Domino Mæcenati & Promotori
suo observandissimo,

Hanc suam Disputationem Juridicam

D. D. D.

Johannes Henricus Hackelman
Aut. & Resp.

PROOEMIUM.

DIvvs Apostolus Paulus *in c. 3. v. 17. ad Coloss.* hæc fundit verba: Omne quodcunq; facitis in verbo ac opere, id in Nomine nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum. Ab ore enim veritatis illud est: Ubi Christus non est fundamentum, ibi nullum boni operis potest esse super ædificium *c. cum Paulus 1. q. 1.* Verùm si initium rei fiat, decens & amabile Deo, tunc benè, competenter, atq; ad voluntatem nostram cadunt, fluuntq; omnia, *Novel. 6. in præfat.* Quemadmodum enim Architectoni ad ædificationem, solum firmum quærere maximoperè convenit, in quo bellè & firmiter exædificari atq; extrui solet ædificium: Sic etiam à DEO rerum omnium principio conatus nostri nos oportet sumere auspiciam. juxta *Proverbium Platonis*: Deo præeunte nullus officit obex. Quod etiam Ethnicus ille Pisistratus Homericus in Paganismo suo haud ignoravit, dum nec quicquam aut suscipi, aut finiri feliciter, sine numinis ope existimavit. Eò quoq; sanctissimus Scriptor *Nazianzenus,*

A 2 respe.

respexit, quando inquit: Exordium rerum
omnium & finem fac Deum. Hujus admo-
nitionem nos etiam secuti, à Divini Nomi-
nis imploratione, hanc nostram dissertatio-
nem exordimur, & ipso in frontispicio qua-
rimus.

I. QUÆSTIO.

An invocatio in Nomine
Patris, Filii, & Spiritus San-
cti, sit de substantia Instru-
menti, adeò ut si forsitan
à Notario Clausula hæc o-
missa fuerit, Instrumentum
illud vitietur, & pro nihilo
habeatur.

Licet nonnulli sint in eâ opinione, invocatio-
nem Nominis Divini, de substantiâ Instru-
men-

mentorū esse, prout ex sequentibus rationi-
bus ac fundamentis constat.

I. Ob felix initium, feliciorē medieta-
tem, & felicissimū exitum Schneidev. *in rubr.*
Instit. n. 1.

II. Quia sacratissimus noster Imperator ipse
in nomine Dei, & Domini nostri Jesu Christi,
ad omnia Consilia, actusq; omnes omni tem-
pore progressus est, ac Jura Imperii suscepit,
pacem in æternum cum Persis firmavit, con-
firmavit, acerbissimos hostes, & fortissimos Ty-
rannos dejecit *in princ. & §. 1. Proæm. Instit. l. 1.*
in princ. C. de offic. præfect. prætor. Africæ. No-
vel. 80. in princ. & 85. in princ. Nos tamen in
eorum confugimus castra, qui pro negantium
sententiâ in jure Civili magis fundatâ pugnare
non erubescunt, statuentes, honestum quidem
& pium esse, invocationem Numinis divini in
quolibet Instrumento honesto apponere, non
tamen adeò, ut si forsitan sit omiſſa, propterea
totum instrumentum sit annullandum vel viti-
andum.

1. Ex *Novell. 47.*

2. Quia non facilè sunt introducendæ for-
mulæ

A 3

inulæ novæ, quæ instrumenta vitient *arg. l. i. C. de form. & impetrat. act. sublat. arg. l. quotiens ff. de V. O.*

3. Quia etiam nullibi reperitur annulari Instrumentum, in quo talis præfatio forsitan est omissa, ut referunt *Dd. communiter infra hac th. allegati.*

4. Imò quemadmodū opprobrium est, & dedecus Philosopho, quid sine ratione asserere *Cic. lib. 1. de fin.* Ita erubescendum ICto sine lege loqui *Novel. 18. c. 5. in dict. autem Novel. 47. divinæ invocationis nulla fit mentio.*

5. Propter communem *Dd.* opinionem, qui ferè omnes hoc limitant, nisi de Consuetudine expressè aliud sit receptum, vide *Br. in repetit. l. si quis ex argentariis, §. si initium. n. 7. ff. de edendo. Alciat. in rubr. ff. de nov. oper. nunc. n. 7. Paul. de Castro. in l. juris gentium 7. §. quod verè 12. ff. de pact. Schneidevv. ad rubr. proæm. Instit. Treut. disp. 5. Vol. 2. th. 3. lit. a. nec non omnes verè *Cc. Abb. Felin. c. 1. de fid. Instrum. Covarruv. pract. quest. 9. 20. num. 1. Francis. Viv. l. 2. Comm. Opin. in verb. Instrumentum publicum, vers. & licet in Instrumento.**

Dis-

Dissentit *VValt. lib. 2. Miscel. c. 1. Borch. in S.*
Instit. de Nupt. Jo. Andrea. de testib. Specul. de In-
strum. edit. §. 2. n. 1. Et 2. Menoch. de adipisc. pos-
sess. remed. 4. n. 711.

II. QVÆSTIO.

An Consuetudo abroget legem scriptam?

ET si pro negativâ perquam speciosè allege-
tur, & multis aliis textibus & rationibus co-
loretur, *l. 2. C. quæ sit. long. consuet.* Attamen per
sequentes rationes movemur, ut calculum no-
strum demus affirmativæ.

I. Quia tantum valet in figendis, & refigendis
jurib⁹ *FACITA* voluntas populi Romani & quã-
tum expressum suffragium *§. sed naturalis*
ii. princ. ibi. sæpe mutari solent, vel tacito cõsensu
populi, vel alia postea lege lata. *Instit. de Fur. N.*
G. & Civ. Quid enim interest, inquit Julianus
in *l. 32. ff. de LL.* suffragio populus suam vo-
luntatem declaret, an rebus ipsis vel factis?

2. Quia

II. Quia lex legem abrogare potest, ut totâ die fieri videmus. Et ipsæ leges nullâ aliâ ex causâ nos tenent, quàm quòd iudicio sint receptæ, *d.l. 32.*

III. Quia consuetudo inveterata, pro lege non immeritò tenetur, *d.l. 32. §. 1.* & non minus valet, quàm jus scriptum, *l. 35.* Immò tam magnæ autoritatis habetur, ut non necesse fuerit, eam scripto comprehendere *l. 36. ff. de LL.*

IV. Qui receptum in Romanis, & rectissimè quidem sublimissimo teste Juliano, summæ autoritatis viro, & P. Edicti prætorii compositore, *l. pen. C. de condict. indeb.* ut LL. non solùm suffragio legislatoris, sed etiam TACITO consensu per desuetudinem abrogentur.

V. Quia non desunt exempla passim in jure occurrentia, ubi LL. priores per consuetudinem contrariam, non mutata tantùm, sed etiam in totum sublatae fuerunt. Quâ de causa etiam *Obertus de Orto lib. 2. Feud. 1.* scribit ad filium suum Anselmum, legum Romanarum non est vilis autoritas, sed non adeò vim suam extendunt, ut usum vincant aut mores. *Donell. 1. Com.*

*Com. c. 10. Duar. c. 12. n. 4. ff. de LL. Dn. Parens ,
(pius record.) disp. illustr. quest. disp. 1. th. 11. lit. s.
Dominic. Arum. Exercit. 1. Instit. th. 21. Treutl.
Vol. 1. disp. 1. th. 9. lit. f. & g. Pacius cent. 1. q. 14.
Christian. Kremberg disp. 1. Instit. th. 24.*

*Dis. Reinhard Bachov. in not. ad disp. Hieron.
Treutl. disp. 1. th. 9. lit. f. & g.*

III. QVÆSTIO.

Num defunctorum cor-
pora possint ob æs alienum
arrestari?

ET licet mos ille fuerit apud Ægyptios, qui
dabant corpora mortuorum debitorum in
pignora: Illorum tamen consuetudinem in-
justam, nostris temporibus alienam, injuriosam
& penitus prohibitam, **Daß man den todten
Leichnam auff der Bahr verkümmere / esse di-
cemus.**

I. Quia talis consuetudo est contra jus divi-
num, *Deut. 25. & Johan. 19.* Deus enim vult,
B ut

ut honestè defunctos terræ commendemus *Gen.*
23. v. 19. Matth. 26. v. 12. Eccles. 12. v. 7.

II. Ob manifestissimi juris textum *in §. 1. In-*
stit. quibus ex caus. manumit. non lic. ibi; ne de-
functus injuriâ afficiatur, h. e. ignominiâ,

III. Imò expressè reprobatur *in l. 6. C. de*
sepulch. viol. ubi contra creditores, qui cadaver
mortui debitoris faciunt arestari, ne sepulturæ
tradatur, pœna 50. librarum auri statuta.

IV. Sacratissimus etiam Imperator, proposu-
it graviolem pœnam *in Novel. 60. c. 1.* videlicet
ut priventur jure, seu credito suo, & ab actione
cadant, & quantum acceperunt in solutum,
tantum restituere teneantur, ut tertia pars bo-
norum ipsorum Creditorum confiscetur, & in-
famiâ notentur: Eadem prohibitio repetitur *in*
Novel. 115. c. 5. §. 1.

V. Arg. text. *in l. ne corpora 38. ff. de relig. &*
sumt. fun. l. 3. §. 4. ff. de sepulch. viol.

VI. Quia maximum dedecus esse existimâ-
runt antiqui, si insepulta cadavera jaceant *l. sunt*
persona 43. ff. de relig. & sumt. fun.

7. Pro

VII. Propter publicam utilitatem, ne infel-
pulta cadavera jaceant, & ne ex illorum putredi-
ne odor foetidus & intolerabilis excitetur, ac pe-
stiferi humores progenerentur *VVeſemb. n. 5. in
parat. ff. de relig. & ſumt. fun. Schneidevv. n.
41. §. ſumma fol. 1019. Inſtit. de interd. Et in
princ. n. 10. Inſtit. quib. ex cauſ. manumitt. non lic.
Dn. Parens (p. m.) in diſp. ff. vol. 1. diſp. 5. Corol. 1.
Coler. c. 6. part. 1. n. 105. & ſeq. de Proceſſ. execut.
Joach. Badius illuſtr. qq. diſp. 5. th. 25.*

IV. QVÆSTIO.

An conſenſus parentum
de Jure divino, nat. Civ. &
Canōico in copulandis Nu-
ptiis requiratur?

ET Jure omni neceſſarium eſſe duci-
mus.

Jure divino requiritur

1. *Genes. 2, v. 18.* quo Deus primus nostrorum omnium parens, Evam ad Adamum duxit, qua re innuere voluit, etiam deinde parentum consensu & voluntate desponsationes liberorum fieri debere.

2. Propter benedictionem divinam, colens enim parentes, læta sperabit omnia: Sic Samson *Jud. 14.* & Jacob, aliiq; plures fecerunt.

Econtra furia ultrices persequuntur in terris parentum contemptum, ut Esau, *Genes. 28.*

Jure naturali.

1. Naturâ etiam liberi parentibus omnem pietatem, omnem honestatem & obedientiam exhibere debent, *l. 2. ff. de J. & J. junc. l. 1. §. 2. & l. 2. de obseq. parent. prest. l. 2. C. de in jus voc.*

2. Quia ab his vita, patrimonium, libertas, civitas nobis tradita est, *Cic. ad Senat.*

Jure Civili.

1. Quia & Civil. & Nat. ratio suadet in tantum, ut jussus parentum, in quorum sunt potestate, præ-

præcedere debeat, *princ. Instit de Nupt. § l. 2. § l. filiusf. 25. § 35. ff. d. rit. nupt.*

2. Ob vinculum patriæ potestatis, *l. filiusf. 35. ff. de Rit. Nupt.*

3. Iniquum foret, invito suum hæredem agnoscere, *l. oratione 16. §. 1. ff. de. Rit. Nupt. §. sed § si quis 7. Instit. de adopt.*

Jure Canonico.

Quia non est legitimum matrimonium, nisi ab his, qui super fœminam dominationem habent, uxor petatur, & à parentibus sponsetur, *c. aliter 30. q. 5. c. honorantur 32. q. 2. c. Nostrates 30. q. 5. Et videantur Dd. Donell. l. 13. Comment. 20. Bronch. c. 2. ass. 15. Ernest. Cothm. consil. 1. n. 1. Matth. Steph. Cent. 1. illustr. qq. q. 68. Duar. ff. de Nupt. c. 5. Dn. Parens (p. m.) disp. qq. illustr. 14. th. 6. itemq. part. 4. ff. disp. 7. th. 17. lit. b. Treutl. Vol. 2. disp. 6. th. 5. Schneidevv. Instit. de Nupt. n. 29. Coraf. l. 1. miscel. c. 17. ubi locupletissime probat, non tantum Civ. Nat. sed etiam Pontificiâ Divinaq; lege parentum consensum in contrahendis nuptiis esse necessarium, *V Vesemb. ff. de Rit. Nupt. Borcb. tract. de grad. c. quomodo contraha-**

trahatur matrimonium? Oldendorp. *Class. 4. Act.*
26. *Gabr. Palaeot. de notbis spuris q. filis c. 8. Foelic.*
Bidenb. tract. de caus. matrimon. c. 1. q. 1. Nicol.
Reisn. lib. 1. Consult. 2. n. 54.

Contradicentes sunt *Gail. 2. Obs. 3. n. 3. Me-*
noch. lib. 2. arb. jud. quest. Cent. 5. cas. 453. Cujac.
Obs. 5. lib. 3. Bellar. de sacram. Dissentiunt etiam
communiter Cc. Panorm. & Jo. Andr. qui omnes
leges consensum parentum exigentes in matri-
monio contrahendo correctas esse dicunt. Co-
varruv. in Epit. part. 2. c. 3. §. 8. n. 1. Cost. lib. 1. q.
jur. c. 12. n. 23.

V. QVÆSTIO.

Thesaurus in loco reli-
gioso fortuito casu reper-
tus cuiusnam cedat?

Dividendum sanè esse inter inventorem &
fiscum, ut ratione inventionis dimidia pars
remaneat inventori, altera dimidia ratione soli,
fisco. Probat per text. express. in *l. non intelli-*
gitur

gitur 3. §. pen. ff. de jur. fisci. Hodie verò ex jure
Canonico defendi posse videtur, dimidiam par-
tem thesauri in loco religioso reperti non am-
plius fisco, sed Ecclesiæ adjudicari debere, per
rationem, quia jure Canon. loca religiosa cen-
sentur esse in dominio Ecclesiæ c. Ecclesia 10.
x. de constitut. c. ut. super 8. x. de reb. Eccles. non
alienand. Et c. c. 1. v. fin. ibi omnia perpetuò san-
ctificentur x. de success. ab intest. Cōsentiunt no-
biscum. Arum. exercit. 5. th. 20. in fin. Hoen. disp.
ad Inst. 4. th. 23. Bronch. cent. 3. ass. 80. Hotom. ad
§. thesauros. 39. Just. d. Rer. Div.

VI. QVÆSTIO.

Num Creditor invitus
possit cogi, ut partem solu-
tionis accipiat?

I. Nos non posse cogi dicemus *per l. obfigna-
tione 9.* ibi mentio fit totius debite pecunie
C. de

*C. de solut. l. his consequenter 18. §. Celsus ff. fami-
mil. hercis. l. Julianus 13. §. offerri 8. ff. de act. empt.
l. debitoris 2. C. debitor. vend. ping. l. etiam 27. §. l.
qui sibi 33. §. 1. ff. de solut. l. 41. §. 1. ff. de usuris, §. si
quis agens Instit. de act.*

2. Quia particularis solutio non modica se-
cum affert incommoda *l. planè 3. ff. fami. her-
cis.*

3. Ne Creditori per debitorem iniqua conditio
pro beneficio inferatur *l. non debet 74. ff. de
R. 7. præsertim quando Creditor non particula-
tim debitori pecuniam in mutuum dedit.*

4. Assentiunt nobis *Br. & Donell. in l. 21. ff.
de reb. cred. Jas. & Duar. ad l. 2. ff. de V. O. Si-
chard. ad l. 1. C. de solut. Scheidevv. & VVe-
senb. ad §. item, Instit. quib. mod. toll. oblig. Hot-
tom. illustr. qq. q. 20. Menoch. lib. de arbitr. jud.
quest. Cent 3. cas. 232. Gædd. ad l. 32. de V. O. n. 9.
Borch. in c. 2. n. 12. de V. O. qui hanc negativam
dicit esse communem. Contra Alciat. ad l. qui-
dam ff. de reb. cred. Coras. ad l. 2. §. & harum
ff. de V. O. Molin. in tract. de divid. & individ.
part. 2. n. 13.*

7. QVÆ

VII. QVÆSTIO.

An debitor Creditori suo invito ante diem solutioni destinatum, rectè solve. re possit?

Et affirmandum esse putamus:

I. Proptertext. apertum in *l. quod quis 50. ff. de O. & A.* ubi quod quis aliquo anno dare promittit, aut dare damnatur, ei potestas est quolibet ejus anni die dandi.

II. *Perl. Stipulatio 38. §. inter certam 16. ff. de V. O. & l. quod certa 70. ff. de solut. in quibus legitur,* quod certa die promissum est, vel statim dari potest, totum enim medium tempus ad solvendum liberum promissori relinquatur. Si itaq; debitor Creditori invito ante diem solvere non posset, quomodo debitori tempus medium liberum ad solvendum esset?

III. *L. continuus 137. §. cum ita 2. ff. de V. O.* ibi; quod in diem debetur, ante solvi potest,

C

licet

licet peti non potest. Cujus rei ratio duplex datur:

1. Quia dies plerunq; in favorem Rei vel debitoris adjicitur *l. cum tempus 17. ff. de R. J. l. cum qui 41. §. quotiens 1. ff. de V. O.* cui favori licitum est renunciare *l. si judex 41. ff. de min. l. si quis in conscribendo 51. C. de SS. Eccles. l. penult. C. de pact.*

2. propter favorem liberationis. Jura enim atq; leges propensiores sunt ad liberandum ab obligatione debitorem, quam ad obligandum, aut diutius detinendum cum in obligatione *l. Arrianus 47. ff. de O. & A. l. absentem §. princ. ff. de pæn. arg. l. favorabiliores 125. ff. de R. J.*

De hac quaestione videatur *Petr. Wesenb. ad l. cum tempus 17. ff. de R. J. n. 4. & seqq. Philip. Decius ad d. l. n. 5. & seqq. Treutl. Vol. 2. diff. 29. th. 2. lit. 1. Consentiant nobiscum Bronch. Cent. 4. Ab. 63. Arum. Exerc. 16. ch. 3. Emil. Ferret. ad d. l. stipulatio 38. & ibid. Cujac. Borcb. de V. O. c. 6. n. 33. Donet. in l. cum qui 41. §. 1. n. 47. & seqq. ff. de V. O.*

VIII. QVÆSTIO.

Quid si Citatus zu rechter
früher Lagzeit post meridiem
veniat, an poenâ contuma-
ciæ affici possit?

ET sententia negativa nobis æquior, imò hu-
manior videtur.

i. Quia contumax dicitur, qui tribus Edictis
propositis, vel uno pro tribus, quod peremptori-
um vulgò appellatur, Citatus, tamen facere sui
præsentiam contemnit *l. contumacia 53. §. 1. ff.
de re jud. l. qui 42. ff. de V. O. L. 50. ff. de O. & A.*
Quod non comprehenditur in illo, qui tardius
venit, modò ipso die, quo vocatus est, personam
suam repræsentat: quia tota dies cedit parti
*arg. §. omnis stipulatio. 2. verb. totus dies. &
ibi Accurs. in gl. Instit. de verb. obligatione.*
Ideò minimè poenâ contumaciæ afficien-
dus est.

2. Ratio ipsa hoc suadet, quia multifaria patri-
fam. præter spem sæpè interveniunt impedimen-
ta, ut sunt adversa valetudo *d. l. 53. §. 2. l. 60. in fin.*
ff. de re jud. Majoris causæ occupationes *d. l. 53.*
§. 2. l. 10. C. quomod. Et quando Jud. vide de hac
quest. Dom. Arum. lib. 1. Decis. 11.

IX. QUÆSTIO.

Vocatus seu citatus ad
incompetentem Judicem
an venire teneatur?

Quidam distinguunt ita:

1. Aut dubitatur adhuc de illius incompe-
tentiâ, & hoc casu esse comparendum: aut in-
competentia est notoria & manifesta, tunc non
comparendum.

2. Alii indistinctè volunt, Citatum venire de-
bere ad Judicem incompetentem, ex *l. 2. de Jud.*
l. contumacia §. ult. ff. de re judic. c. si duobus 7. de
appellat.

sed

Sed nos in dubio citatos comparere, & incompetentiam judicis, suumq; privilegium allegare debere putamus: ne jus dicentis auctoritatem contemnere videatur, cujus est aestimare, an sua sit jurisdictio *l. 5. ff. de judic. Vultei, lib. 1. discept. scholast. c. 1. fol. 10. Dn. Parens (p. m.) part. 1. disp. ff. disp. 5. th. 21. Et in disp. illustr. qq. disp. 4. th. 7. lit. b. Mynsing. Cent. 6. Obs. 7. Bocer. disp. 5. th. 14. Speculat. de Citat. §. 1. n. 19. Gail. li. 1. Obs. 48. n. 8. Et 11. Treutl. Vol. 1. disp. 4. th. 5. lit. c. Diss. sunt Duar. tit. de in jus voc. c. 6. Pet. Greg. in Syntag. lib. 48. de Contumac.*

X. QVÆSTIO.

Citatus ad certam causam, & comparens, utrum ad aliam, ad quam non est citatus, respondere teneatur?

PLerisque visum est, partem presentem non aliter esse citandam, proinde respondere indi-

C 3 stin-

stinctè esse obligatã: Et ita *Alexand. in l. de uno-*
quoq. n. 2. cum. seq. ff. de re jud. J. a. in l. 1. n. 9. § 12. ff.
de injus voc. Felin. in capit. 1. n. 18. cum seq. de ju-
dic. Bl. in l. si accusator. n. 13. C. de accusat. per. l. 5.
in princ. ff. quod vi aut clam Myns. C. 6. O. 6. Vul-
tei. 2. J. R. 28. n. 29. Gail. 1. Obs. 48. n. 4. Schurf. Con-
sil. 79. Cent. 2. n. 5. Sed licet multi vehementer,
quoad jus Civile contra pungent, tamen id con-
suetudinis esse putamus, quòd etiam præsens ad-
huc citari debeat.

1. Quia expressio Causæ necessariò est citatio-
ni inferenda, *per text. in c. præterea. de dilation. gl.*
ibid. in verb. plenè: quæ Causæ insertio planè ef-
ficeretur inutilis, quod est absurdum.

2. Ut denunciationi respondeat actus denun-
ciantis *l. 5. ff. quod vi aut clam, jung. arg l. 2. §. 3.*
ibi; quoniam ob aliam Causam venerit. Cum
quâ consentit jus Saxonicum *Land R. lib. 2. art. 2.*
in verb. Herr Richter/mir ist hierumb nicht her be-
scheiden.

3. Concordat novissima Ordinatio. *Jud. Sax. An.*
1622. edita art. 4. in verb. Und damit der Citatus
jedesmahl/ worzu er eigentlich vorgeladen sey/wisse.

4. Consentiant *Innocent. in c. licet. n. 2. de Of-*
fic.

*fic. deleg. Dn. Parens (p. m.) in disp. illustr. qq. disp. 4.
th. 19. lit. a. Gail. 1. Obs. 51. n. 7. Treutl. Vol. 1. disp.
4. th. 3. lit. d. Myns. qui hoc etiam in Consistoriis
observari asserit, (nisi fortè præsens esset homo
fugitivus, vel talis, qui aliàs facilè conveniri non
posset.) cent. 6. Obs. 6. n. 9. Zas. ad l. 1. n. 2. de in
jus voc. ubi expressissimis verbis dicit, quòd Con-
suetudo notissima Germaniæ nostræ subscribat.*

Horatius vir clarissimus, non absq; Causâ
hæc protulit verba: Omnis rei initium & finem
inspicere oportet. Quia verò Decadem nostram
Deo propitio freti, adjuti aggressi fuimus, imò
ad Colophonem perduximus. Igitur tibi ô cle-
mentissime, potentissime, omniq; scientiæ & sa-
pientiæ fons atq; thesaure preciosissime Deus,
ore, linguâ, animo, spiritu, & omnibus interiori-
bus, & externorum membrorum gestibus grati-
as, non quas possumus, sed quas debemus, agi-
mus. Te etiam atq; etiam rogantes, ut omne no-
strum institutum cedat ad nominis tui glo-
riam, ad Ecclesiæ emolumentum,
& Reipubl. salutem.

F I N I S.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

F I N I S




ULB Halle
006 682 146


3



KD77








B.I.G.

Farbkarte #13



VM

M

Et Am-
ade-

D. Junioris,

ELMAN,
Filius.

etis.

bergi.
Æ,

1629, 3
11

3

35

